

ante purgatam conscientiam, lapsis falsam pacem restituunt, periculosam dantibus, accipientibus nihil profuturam.

His consentit B. HIERONYMUS, dum commentario in c. 16. Matth. (opp. t. 7. p. 125. A. edit. Vallarsi.) invectus in Episcopos et Presbyteros, qui Pharisæorum sibi supercilium assumentes, quosvis sontes et insontes se pro libitu solvere ac ligare posse, causa non cognita, gloriabantur, mox ita eos hortatur: *Episcopus et Presbyter pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus.* Eorundem et Presbyterorum in Ecclesia potestatem, epist. 1. ad Heliodorum, magna reverentia extollit his verbis: *Absit ut de his (clericis) quidquam sinistrum loquar, quia Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos Christiani sumus; qui claves regni caelorum habentes, quodammodo ante iudicii diem judicant.*

Inst. 4. Ministrorum absolutio præsimit poenitentem spiritualiter jam viventem, et peccati condonationem a Deo factam: in cujus confirmationem Patres proferunt exemplum Lazari, quem prius a morte ad vitam Christus suscitavit, quam discipulis solvendum a fasciis sepulchralibus commiserit. Ita enim GREGORIUS M. hom. 26. in Evang. (opp. t. 1. p. 1555. D.) *Tunc, inquit, vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis... Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum.* Et B. AUGUSTINUS serm. 67. de verbis Evangelii, alias 8. de verb. Dom. *Quis, inquit, eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* Ergo secundum Patrum sententiam, sacerdotes non remittunt peccata, sed veniam illorum divinitus factam esse tantum declarant.

R. N. Ant. B. Augustinus duos in peccatore ad justitiam traducto effectus agnoscit; alter quidem est gratia excitans et adjuvans ad odium peccati, ad melioris vitæ propositum, et ad sinceram peccatorum confessionem, qua velut inchoatæ et imperfectæ vitæ motus exercet; atque vita hæc a solo Deo intus vocante et operante oritur: alter vero effectus provenit ab Ecclesia exterius ministrante, et a vinculis peccatorum solvente, cui dictum est, *quæ solveritis super terram, etc.*, et a Deo ipso ratam Ecclesiæ sententiam habente, ut ita expeditus peccator omnes vitæ perfectæ motus edere possit. Atque ista luculenter tradit idem S. Doctor loco nuper citato: tum vero concione 2. in Ps. 102. n. 3. *Remissio, inquit, peccatorum solutio est... Cum audis, hominem poenitere peccatorum suorum, jam revixit: cum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? Quæ solveritis in terra, inquit, erunt soluta et in caelo. Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem ipse mortuus, non nisi intus clamante Domino, potest: hæc enim Deus interius agit.* Eandem vero B. GREGORIUM mentem fuisse ex homilia nuper indicata intelligi licet, ubi, *videndum, inquit, est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit poenitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat.* Ex quibus apparet, quo sensu absolutio præsidentis sequi debeat arbitrium iudicis æterni. Cæterum Patres constanter asserunt, ante sacerdotum sen-

tentiam in terris latam peccata in caelis a Deo non dimitti. Ac S. quidem HILARIUS in cap. 16. Matth. (opp. t. 750. A.) exclamat: *O beatus caeli janitor! cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre iudicium præjudicata auctoritas sit in caelo; ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in caelo.* S. JOAN. CHRYSOSTOMUS hom. 4. in illud: *Vidi Dominum* (opp. t. 6. p. 132. E.): *A terra, inquit, iudicandi principalem auctoritatem sumit caelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum.* Et S. BERNARDUS serm. 1. in Natali Apost. Petri et Pauli (opp. t. 1. p. 990. B. edit. Mabill.) *Sententia Petri, ait, præcedit sententiam caeli.* Non quod proprie sint duæ sententiæ: una enim solum est, ac præcipue a Deo, et hoc quidem in genere prior; nihilominus hominis sententia dicitur præcedere, vel quia exterior absolutio ordine naturæ antecedit interiorem, vel quia proxime inchoatur, et quasi definitur sententia a sacerdote, et infallibiliter consequitur effectum, et rata habetur in caelo.

Inst. 5. S. AUGUST. serm. 99. de verbis Evang. S. Luc., alias 23. ex hom. 50. c. 8. n. 8., reprehendens eos, qui arroganter dicunt: *ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico: Respondeat illi, subjicit S. Doctor, non ego, sed Christus; ergo negavit penes sacerdotes esse facultatem peccata dimittendi.*

R. N. Cons. S. Augustinus et Patres cæteri potestatem excellentiæ Christo soli adseribunt: ministerium autem et communicatam sacerdotibus a Christo potestatem eadem peccata remittendi iidem pluribus extollunt, ut hactenus affatim demonstravimus. Quanquam B. Augustinus loco laudato impudentiam Donatarum præcipue petat, qui vim sacramentorum ex suæ sectæ ministrorum sanctitate pendere jactabant, quasi nullum foret sacramentum, quod ab hæretico, aut alio malo ministro fuerit collatum.

ARTICULUS II.

AN HOC SACRAMENTUM INSTITUTUM SIT PER MODUM JUDICII?

99. *Nota.* Hactenus satis ad propositum nostrum ostendimus, sacerdotibus potestatem remittendi ac refinendi peccata a Christo fuisse impertitam. Ex quibus Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 2. et 5. legitime intulit, sacramentum hoc ad formam iudicii divinitus ordinatum esse, quod institui rite non possit, nisi poenitentes peccata sua sacerdotibus aperiant.

Quid de confessione senserint olim Montanistæ et Novatiani, ex supra dictis licet intelligi.

Audiani hæretici, qui tempore Valentiniani senioris Ecclesiam vexabant, jubebant quidem unumquemque peccata sua confiteri: deinde confessis dabant veniam, non tempus ad poenitentiam definiens, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes, ut narrat Theodoretus L. 4. Hæret. Fab. c. 10. (opp. t. 4. p. 242. C.).

Eundem morem tenuerunt Waldenses, tantum pauculas preces confessis injungere soliti: nec aliis, dicebant, confessionem fieri debere, quam *Barbatis*, hoc est sectæ suæ Presbyteris, penes quos tantum putabant esse facultatem absolvendi. Postea anno 1530. a Bucero et Æcolampadio rogati,

ut revocarent articulum, quo profitebantur confessionem auricularem juris esse divini, detrectarunt id facere Barbati seu Waldensium ministri, causati, quod articuli illius proscriptione erroris labes iis inureretur, qui ad ea usque tempora feliciter rexerant Waldensium Ecclesias, ut testatur Ægidius in histor. reform. c. 5. Nihilominus anno 1536. a Farello Calvini emissario inducti, proscripto hoc eodem articulo, Calvinismum in omnibus capitibus amplexi, et in unam cum Genevensibus synagogam redacti sunt.

Seculo 14. Joannes Wicleffus docuit, omnem exteriorem confessionem superfluum esse et inutilem ei, qui debite fuerit contritus, ut habet art. 7. et 45. damnatis a Concilio Constantiensi Sess. 8.

Seculo 16. Desiderius Erasmus Roterodamus in annot. ad epist. S. Hieron. ad Ocean. de obitu Fabiolæ, et ad cap. 19. Actor. et in methodo Theologiæ, et Beatus Rhenanus in annot. ad L. Tertull. de Poenit. ausi sunt jactare, confessionem non semper fuisse in usu, nec divino esse instituto introductam.

Post hos Lutherus in serm. de Confess. et Eucharist. edito an. 1519. ait, confessionem, quæ fit coram sacerdote, non esse præceptam a Deo, sed a Papa: utilem tamen esse pronuntiat in visitatione Saxonica an. 1528. Anno autem 1537. in articulis Smalcaldicis, de Confessione dicit, enumerationem peccatorum debere esse liberam, ut quisque enumeret illa, quæ voluerit.

Nec solum confessionis institutionem divinam negat esse Calvinus, sed ait insuper, rem esse pestilentem et noxiam Ecclesiæ L. 3. Instit. c. 4. §. 7. et 19. Nihilominus §. 12. arbitratur, expedire aliquando solatii causa, aliqua, de quibus nimium angimur, ministro confiteri.

100. Dico. Sacramentum Poenitentiae a Christo proxime est institutum ad formam iudicii, quo nimirum fideles sacerdoti peccata sua aperiant, et ab eo sententiam excipiant.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Christus, Matth. 16. v. 19. talis iudicii institutionem promisit, dicens Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Et c. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Joannis autem 20. v. 22. potestatem eandem Apostolis reipsa contulit, dando eis Spiritum sanctum et dicendo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui non possunt ministri Christi ligare aut solvere fideles, retinere vel remittere peccata, nisi illa noverint, juxta illud Prov. 12. v. 17. *Qui judicat quod novit; iudex justitiae est:* non possunt autem poenitentium cognoscere causas, nisi hi reos se stiterint et suimet accusatores, et quidem peccata sua distincte exposuerint. Ergo dum Christus dedit potestatem ligandi et solvendi, retinendi et remittendi peccata, sacramentum istud in formam iudicii instituit.

Act. 19. v. 18. et 19. legimus: *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus:* ubi versio syriaca sic habet: *Plurimi ex iis, qui crediderant, veniebant, confitebanturque id quod fecerant.* Hic primo confitentur fideles jam baptizati, hi enim proprie

dicuntur credentes, ut constat Act. c. 2. v. 44. c. 4. v. 32. c. 5. v. 14. et 1. Thes. 1. v. 7. et alibi. Et habetur græc. *πεπιστευκότων*, qui *crediderant*.

Deinde confitebantur sua peccata, ut non tantum Catholici omnes cum Ven. Beda in cap. 1. Marci, sed etiam Melanchthon, Calvinus, Beza, Bullingerus, Sarcerius in Acta Apostolorum, et maxima pars adversariorum exponunt. Et quidem speciatim sua peccata recitabant, quod indicat vox græca, *ἀναγγέλλοντες*, et syriaca *sahē*, respondens hebraicæ *samar*, numeravit, ut idem sit ac *numerantes peccata sua*. Et quomodo Paulus nosse potuisset, ipsos curiosa sectatos fuisse, aut libros ipsorum igni tradere, si ipsi hujus delicti speciatim se non accusassent?

Denique confessio illa non soli Deo facta fuit, sed etiam homini: ad Paulum enim veniebant, ut confiterentur actus suos; ergo confessio ista a Christo fuit instituta; cum nulla tunc temporis lex ecclesiastica de confessione extaret.

Jacobi 5. v. 16. præcipitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, i. e. non soli Deo, sed homines hominibus, neque omnibus indiscriminatim, sed presbyteris, ut explicant Origenes hom. 2. in Levit., S. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio, S. Augustinus L. 50. homiliarum, homil. 12., et Patres universim.

Prob. III. Ex TRADITIONE perpetua. Seculo I. S. BARNABAS, in epistola num. 19. (inter opera PP. apostol. p. 49. edit. Hefel. 1847.) inter varia salutaria monita, *Confiteberis*, inquit, *peccata tua*. Epistolam autem istam tanquam verum S. Barnabæ opus laudant Clemens Alexandr., Origenes, Eusebius, S. Hieronymus, et critici recentiores, ut etiam Pinus in nova bibliotheca auctorum Eccles. pag. 6.

S. CLEMENS Rom. epist. 2. (ibid. p. 147. n. 8.) *Quamdiu in hoc mundo sumus, peccatorum, quæ in carne gessimus, ex toto corde poenitentiam agamus, ut a Domino salvemur, dum poenitentiae tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut poenitentiam agere.*

Seculo II. S. IRENEUS vir Apostolicus et S. Polycarpi discipulus, L. 1. c. 13. (opp. p. 63. edit. Massuet.) de Marco hæretico et præstigiatore, ac pluribus mulierculis ab eo corruptis disserens: *Hæ, inquit, sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo, et velut cupidine inflammatas valde illum dilexisse.* Tum addit de uxore cujusdam diaconi, quæ simile vitium passa est: *Omne tempus in exomologesi consummavit, plangens ac lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc mago, corruptelam.* Et L. 3. c. 4. (ibid. p. 179.) de Cerdone hæretico: *Consummavit, inquit, modo quidem latenter docens, modo exomologesin faciens.* Ergo tunc temporis in Ecclesia exomologesis etiam de occultis animi libidinibus in usu erat.

Eodem tempore Montanistæ duos peccatorum ordines statuebant, alia quidem venialia, quæ ab Ecclesia remitti posse credebant, alia irremissibilia, quorum reis, post exantlatos poenitentiae labores, a solo Deo veniam expectandam esse volebant. Utrosque autem Catholici, absoluta poenitentia ab Episcopo dictata, peccatis absolvebant, teste Tertulliano L. de pudicitia.

Ergo confessio tum erat in usu, ex qua Episcopi qualitatem peccatorum, et dignam quibusque criminibus satisfactionem intelligerent.

Idem TERTULLIANUS in libro, quem adhuc Catholicus de Pœnitentia composuit, postquam ostendit, omnibus omnino peccatis eluendis pœnitentiam esse necessariam, addit, confessionem ejusdem esse necessitatis, etiam quoad secreta animæ vulnera, ita ut pereant, qui ea detegere erubuerint. Cap. 9. *Tantum, inquit, relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggravat. Confessio enim satisfactionis consilium est; dissimulatio, contumaciæ. Hujus igitur pœnitentiæ secundæ et unius quanto in areto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* Cap. 10. *Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis... Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subdixerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? Et c. 12. Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet; et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites... Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Ex hoc testimonio ipse Beatus Rhenanus confessionis antiquitatem rite colligi fatetur.*

Seculo III. ORIGENES hom. 3. in Levit. (opp. t. 2. p. 196. A. edit. Ruæi.), postquam scripsit, occultissima peccata nostra omnia olim publicatum iri ab accusatore dæmone, qui nos ad illa instigaverat, mox subjungit: *Si ergo in vita præveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus: sic enim et alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Et hom. 2. in Levit. (ibid. p. 191. B. C.), *Est adhuc, inquit, et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum; cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et sunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* Et hom. 17. in Lucam (opp. t. 3. p. 953. A.), de eadem exomologesi disserens: *Si hoc, inquit, fecerimus, et revelaverimus peccata nostra, non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua.*

De Philippo imperatore narrat Eusebius L. 6. c. 34., quod cum Christianus esset, et pro more precibus pridie Paschatis interesse voluisset, *eum ab Ecclesiæ aditu prohibuerit Episcopus, quod multis criminibus inquinatus esset; nec eum admisit, antequam confessionem fecisset, et iis, qui humanitus lapsi fuerant, et in ordine pœnitentium stabant, sese adjunxisset.*

Luculentum item argumentum pro confessione nobis suppeditant Novatiani medio hoc seculo orti, quorum occasione, ut Sozomenus L. 7. hist. c. 16. scribit, institutus fuit Presbyter Pœnitentiarius, ad quem omnes in crimina etiam secreta lapsi accedebant, dignam et congruentem satisfactio-

nem præstandam pro delictorum modo et pravitate ab eo accepturi. Eadem ergo tunc fuit, quæ nunc viget, hac in re Ecclesiæ disciplina.

S. CYPRIANUS libro de Lapsis n. 28. 29.: *Quanto, inquit, et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore contracti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non deridetur... Plus imo delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit... Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Hactenus S. Cyprianus.*

Seculo IV. LACTANTIUS L. 4. Institutionum c. 17. cum dixisset, circumcisionem figuram pœnitentiæ fuisse, mox adjicit: *Deus volens vitæ ac salutis nostræ pro æternâ suâ pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcissione proposuit, ut si cor nudaverimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur; quæ contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, sed intima et arcana pectoris intuetur.* Et cap. 30. agens contra hæreticos, ac nominatim adversus Montanistas et Novatianos: *Quia, inquit, singuli quique cætus Hæreticorum se potissimum Christianos, et suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Quæ de confessione divinitatis Christi inepte Betuleius interpretatur: agit enim Lactantius de confessione, quæ Novatianorum confessioni opponitur: nam illi in confessione divinitatis Christi non exerrabant; sed confessis et pœnitentibus graviorum criminum veniam ab Ecclesia dari posse negabant.

Synodus LAODICENA Can. 2. (Labb. t. 1. p. 1495. C.) jubet confessos et pro diversitate delictorum pœnitentia expiatis communioni offerri.

S. AMBROSIIUS L. 2. de Pœnit. c. 6. (opp. t. 2. p. 426. A.): *Si vis, inquit, justificari, fateri delictum tuum: solvit enim criminum nexum verecunda confessio peccatorum.*

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS hom. 20. in Genes. (opp. t. 4. p. 175. C.) postquam multa de confessione sacerdotibus secreto facienda dixisset, ita concludit: *Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum.* Et homilia 34. (al. 33.) in Joan. (opp. t. 8. p. 199. A.) *In peccatis nostris vulgandis ne vereamur homines.*

Plura Conciliorum et Patrum testimonia dabit Bellarminus L. 3. c. 5. et seqq.

101. Obj. I. Enarratio peccatorum omnium impossibilis est; ergo nec fuit a Deo præcepta, neque ab Ecclesia præcipi poterat. Ita Calvinus Instit. L. 3. c. 4. §§. 17. et 18.

R. N. Suppos. quod talem confessionem præceptam fuisse Catholici credant aut doceant. Sicut enim Calvinus ait, in confessione Deo facienda non satis esse, generatim dicere: *peccator sum; sed oportere, quantum in nobis est, singula peccata accurate confiteri, ac postea addere illud Ps. 18. v. 13.*